

*magnus certè abusus est. (Ad calcem tract. Guilteini; Durand, de modo Concil. celebr. edit. an. 1671. pag. 110 & 111. )*

Hinc colliges ad restitutionem obligari Clericos qui, licèt ex re familiari, vel ex beneficio jam habeant, unde honestè pro sua conditione vivant, ab altero tamen beneficio pensionem percipiunt.

At, inquit avidi pensionum captatores, Apostolicam licentiam & dispensationem quaesivimus & obtinuimus. *Hic cavillus*, respondet Bellarminus, *securos multos reddit, tutum verò neminem, quoniam Papa non est dominus, sed dispensator; idèdque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est; & qui eà utitur, eadèdem semper iniquitate irretitur. (Epist. ad suum nepotem. )*



## TRACTATUS

DE

## SIMONIA.

**I**N tractando isto maximi momenti argumento, hunc servabimus ordinem : 1°. de Simoniae natura & divisionibus agemus ; 2°. expendemus quale peccatum sit, & utrum ab eo committatur, qui temporale quidpiam tribuit, non tanquam rei spiritualis pretium, sed quasi *motivum* & incitamentum ad eam obtinendam ; 3°. differemus de pretio seu munere simoniaco ; 4°. de materia Simoniae ; 5°. de poenis contra simoniacos constitutis ; 6°. inquiremus utrum & quibus restitui debeant, quae simoniacè accepta sunt.

## CAPUT PRIMUM.

De Simoniæ natura, variisque divisionibus.

QUÆRES I<sup>o</sup>. quænam sit definitio Simoniæ.  
Resp. Simonia suum habet nomen à Simone Mago, qui Apostolis obtulit pecuniam, ut ab iis potestatem acciperet aliis Spiritûs Sancti dona impertiendi. (*Act. Apost. cap. 8.*) Post S. Thomam definiri solet: *Voluntas studiosa emendi aut vendendi aliquid spirituale aut spirituali annexum.* (2. 2. q. 100. art. 1.)

Dicitur I<sup>o</sup>. *Voluntas studiosa*, sive deliberatus voluntatis actus, sine quo non potest esse peccatum. Unde constat non tantum admitti Simoniam, cum signis exterioribus declaratur, sed etiam quando in eam aliquis consentit, licet opus non subsequatur.

2<sup>o</sup>. *Emendi aut vendendi*; quibus verbis intelligitur omnis contractus non gratuitus, inquit S. Thomas. (*Ibid.*)

3<sup>o</sup>. *Aliquid spirituale*, sive quidquid ad fidei salutem specialiter institutum est, vel ad Dei cultum pertinens, ut Sacramentorum administratio.

4<sup>o</sup>. *Aut spirituali annexum*, id est, ea omnia quæ, licet ex se aliquid merè temporale sint, propter suam tamen cum alia re spirituali conjunctionem, ipsius naturam quasi induunt. Hujusmodi sunt calices, altaria, sacræ vestes, quæ per consecrationem sibi accedentem, formam quædam spirituali nobilitantur. Item beneficia ecclesiastica, propter suam cum officiis divinis sacrisque functionibus colligationem.

Quæres 2<sup>o</sup>. quotuplex sit divisio Simoniæ.  
Resp. Simonia ab omnibus Theologis dividitur in mentalem, conventionalem, confidentialem, & realem.

*Mentalis* ea est quæ solo animi consensu perficitur, nullâ interveniente conventionem, sive expressâ, sive tacitâ: hujusmodi Simoniæ reus est qui alteri eo consilio beneficium confert, ut ipsum alliciat ad impertiendam sibi pecuniam, aliamve quamcumque rem pretio æstimabilem; vel qui temporale quidpiam dat alteri, ut eum ad conferendum, vel obtinendum sibi beneficium moveat, etiam sine ulla istius voluntatis significatione.

*Simonia conventionalis* est, cum duo vel plures pactum ineunt, seu conventionem expressam vel tacitam, de re spirituali emendâ aut vendendâ.

*Simonia confidentialis* est conventio expressa vel tacita, ut qui beneficium recipit, illud ipsum posthac in alium quempiam sive designatum, sive designandum transferat, aut ejusdem fructus, saltem ex aliqua parte, ab alio percipi sinat.

*Simonia denique realis* est, cum datur aut recipitur temporale pro spirituali, sicut conventum fuerat; ita ut alter rem spiritualem, alter verò temporalem verè tradat. Non tamen necesse est ut tota & integra sit rei pactæ traditio; at sufficit ut aliquid utrinque fuerit traditum: si, v. g. datum sit beneficium eâ conditione, ut centum nummi solverentur, & quinquaginta tantum fuerint perfoluti, Simonia nihilominus erit realis.

## C A P U T I I.

*Quale sit peccatum Simonia, & utrum ab eo committatur, qui aliquid temporale tribuit, non tanquam pretium rei spiritualis, sed tanquam motivum & incitamentum.*

UT Clericos à Simoniæ peccato liberarent Casuistæ nonnulli recentiores, diversas excogitarunt argutias, in quibus si quid esset præsidii, Simoniæ labem à se facile depellerent, etiam ii qui temporale aliquid pro spirituali largiuntur. In pecunia sive re temporali rationes pretii & motivi ita distinguunt, ut à Simoniæ vitio eos eximant, qui pecuniam tribuunt, non tanquam rei spiritualis pretium, sed tanquam motivum & veluti irritamentum, quo, v. g. Collator moveatur ad beneficium conferendum.

## P R O P O S I T I O I.

*Simonia peccatum est gravissimum.*

Prob. 1<sup>o</sup>. Quia statim ac Simon Magus Spiritus Sancti donum & miracula, instar Apostolorum, patranda potestatem oblata pecuniâ emere voluit, terribilibus his verbis, quasi totidem fulminibus, eum percudit S. Petrus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri, ... penitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* (Act. 8. v. 20 & 22.) Atqui tam gravis reprehensio grande peccatum probat; ergo, &c.

Prob. 2<sup>o</sup>.

Prob. 2<sup>o</sup>. Peccatum juri, tum naturali, tum divino, tum ecclesiastico, simul & Religioni oppositum, non potest non esse gravissimum: atqui Simonia opponitur juri, tum, &c. Et 1<sup>o</sup>. quidem juri naturali: vetat enim jus naturæ ne quis ea vendat, quorum non est dominus, & quæ vendendi nullam à domino suo potestatem accepit; atqui rei spiritualis venditor, nec hujus est dominus, ut constat apud omnes, nec ullam illius vendendæ potestatem accepit à Domino, cum sic jubeat Christus: *Gratis accepistis, gratis date.* (Matth. 10. 8.)

2<sup>o</sup>. Repugnat Simonia juri divino, ut satis patet ex præfata Christi sententia. 3<sup>o</sup>. Juri ecclesiastico, siquidem innumeris prohibetur Canonibus tanquam grande nefas. *Omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur.* (Decr. pag. 611.) *Simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincit.* (Decretal. Lib. 5. tit. 3. p. 1607.)

4<sup>o</sup>. Denique Religioni opponitur Simonia, verumque est sacrilegium, cum per eam sanctissima quæque indignissimis habeantur modis: quæ enim major rebus sacris ignominia & injuria inferri potest, quàm eas vilissimo pecuniæ, aliarumque rerum temporalium pretio æstimari & venundari? *Res spiritualis, inquit S. Thomas, non potest aliquo terreno pretio compensari, ut de sapientia dicitur: (Proverb. 3.) Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari.* (2. 2. q. 100. art. 1.)

## P R O P O S I T I O I I.

*Ad Simoniam perinde est, sive tanquam rei spiritualis pretium, sive tanquam illius conferendæ motivum & incitamentum offeratur aliquid temporale.*

Prob. 1<sup>o</sup>. Quia si valeat hæc Casuistarum sub-  
Tom. V, K

tilitas, nullus erit, ne quidem Simon Magus, qui à Simoniam peccato facile excusari non possit. Quis enim putet eò delirii Simonem ipsum devenisse, ut crederet pecuniam quam Apostolis offerebat, ejusdem esse pretii ac Spiritus Sancti donum? Nonne dicere potuisset pecuniam se Apostolis obtulisse, non tanquam pretium, sed veluti *motivum*, & incitamentum, quo eos impelleret ad conferendam sibi potestatem Spiritum Sanctum manûs impositione conferendi? Temerarius igitur Apostolus Petrus, quòd tam vehementer Simonem damnaverit, cum non appareret pecuniamne tanquam pretium offerret, an tanquam incitamentum.

2º. Quia nullus, nisi plumbeus sit & omnino hebes, Simoniam reus erit. Ecquis enim eam facile non effugiet, suam intentionem ita flectendo, ut pecuniam velit dare, non quasi pretium beneficii, sed per modum illecebræ Patronum vel Collatorem ad illud conferendum permoventis?

3º. Quia sibi intentatam Simoniam accusationem in foro exteriori eludere cuilibet facile & in promptu erit: ab ea scilicet criminatione sese liberabit, testando se pecuniam non dedisse ut rei sacræ pretium. Quis poterit eum falsi convincere? Certè ne ipsa quidem Ecclesia de interiori & recondita animi intentione judicare potest.

4º. Quia sacri Canones iis verbis enuntiantur, quæ vanas illas Casuistarum argutias penitus elidant, prohibendo scilicet ne quis Ecclesiæ dignitates sive pecuniâ, sive quolibet alio præmio consequatur. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuit dignitatem, deponatur: ira Canon inter Apostolicos 30: Si quis, ait Concilium Toletanum VIII, pro percipienda sacerdotii dignitate, quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore, anathematis se noverit opprobrio condemnatum. (Tom. 6. Concil.*

pag. 404.) Itaque præfati Canones aliique innumeri generatim vetant, ne quis ad dignitates Ecclesiæ vel pecuniâ, vel alio quocumque præmio viam sibi muniat: atqui id ipsum agunt qui pecuniam offerunt, tanquam conferendi beneficii invitamentum; ergo Simoniam, qualis prohibetur à sacris Canonibus, verè committunt.

Meritò igitur Innocentius XI, & Clerus Gallicanus hanc quorundam Casuistarum propositionem damnarunt: *Dare temporale pro spiriuali, non est Simoniam, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi spiriuale.*

---

### CAPUT III.

#### De pretio sive munere simoniaco.

**P**RETIIUM seu munus simoniacum, est illud quod res spiritalis emitur & venditur. Triplex in jure canonico distinguitur, nempe munus vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio. De iis tribus totidem in articulis differendum est.

---

#### ARTICULUS PRIMUS.

##### De Munere à manu.

Per munus à manu intelligitur pecunia vel bonum aliquod externum, qualecumque sit, quod pretio æstimabile est. Simoniam proinde ii omnes admittunt, qui hujusmodi bona, pro re spiritali comparanda, vel tribuunt, vel promittunt.

Simoniam igitur per munus à manu committunt 1º. qui beneficium alteri resignant, eà lege ut

expensas solvat quas in eo acquirendo fecere; 2<sup>o</sup>. qui instaurandæ domûs pastoralis onus ex pacto in se suscipiunt; 3<sup>o</sup>. qui dant vel accipiunt beneficium cum promissione remittendi debitum; qui ab ære alieno quo sunt obruti, ut sese expediunt, beneficia creditorum filiis sacrilegè conferunt; 4<sup>o</sup>. qui ex conventionione facta, emunt domum vel suppellectilem *resignantis*, ut potè, inquit, ei jam inutilem; 5<sup>o</sup>. qui beneficium eâ conditione obtinent vel conferunt alicui, ut ab eo mutuam accipiant pecuniam, vel contrà qui pecuniam mutuo dant pro consequendo beneficio; 6<sup>o</sup>. qui beneficia eâ lege *resignant*, ut expensas quas in instaurandis vel amplificandis Presbyterii ædibus posuerunt, compenset *Resignatarius*; 7<sup>o</sup>. qui statûs Clericalis pertæsi, de ineundisque nuptiis cogitantes, beneficium futuræ conjugis fratri *resignant*, eâ conventionione factâ, ut parentes dotem augeant puellæ matrimonio jungendæ; 8<sup>o</sup>. qui beneficium daret ut ipsius fratri nuberet beneficium accipientis foror.

In iis omnibus casibus, aliisque hoc genus non paucis, per munus à manu contrahitur Simoniæ labes, quia datur vel accipitur, exigitur vel promittitur pecunia aut bonum temporale, quod pecuniæ equivalet.

## ARTICULUS II.

### De Munere à lingua.

Munus à lingua complectitur laudes, preces, commendationes, adulationes & alia hujusmodi, quorum adminiculo beneficia obtinentur, vel potius usurpantur; cum hæc omnia linguæ ministerio erga eum adhibeantur, qui beneficium est collaturus, non immeritò dicuntur *munus à lingua*, & inter ea numerantur quibus subest Simonia,

Hinc Simoniam per munus à lingua, committunt 1<sup>o</sup>. qui beneficium alicui confert, postulante viro quodam nobili & potente, quia inde aliquid emolumenti sperat; 2<sup>o</sup>. qui ad amicorum aut Magnatum preces, beneficium cuiquam largitur, ut eos sibi devinctos habeat; 3<sup>o</sup>. qui variis assentatiunculis Principum virorum, Procerum, ceterorumque nobilium gratiam aucupantur, ut pingua ad beneficia adrepant. Id hominum genus sic compellat S. Chrysostomus: *Cogita quid acciderit Simoni; quid enim refert, si non dederis pecuniam, si pecuniæ loco aduleris?* (Homil. 3. in Act. Apost. tom. 9. p. 31.) 4<sup>o</sup>. Duo Monachi qui sibi mutuo sua, & partium suarum pollicentur suffragia, ut alter, v. g. fiat *Provincialis*, alter verbò *Prior*: conventionem hanc simoniacam esse propter munus à lingua, sive propter mutua suffragia, certum est.

Quæres 1<sup>o</sup>. an semper Simoniæ reus sit qui vel suas, vel aliorum preces adhibet, ut pro altero beneficium obtineat.

Resp. in ea re semper inesse Simoniam, quando postulantis animus eò spectat, ut favorem humanum captet, vel bonum quidpiam temporale consequatur. Pravam autem hanc intentionem habet quisquis pro eo quem indignum novit, beneficium per se vel per alios sollicitat. Cum enim tunc non moveatur illius meritis in cujus gratiam beneficium deposcit, satis constat eum vel favore humano duci, vel spe boni alicujus temporalis. Idem sentiendum de eo qui rogatus beneficium indigno conferret. *Videtur*, inquit S. Thomas, *ad hoc*, (favorem scilicet humanum) *principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit. Unde ipsum factum est simoniacum* (2. 2. q. 100. art. 5. ad. 3.)

Nihil verò Simoniæ est, cum eò spectat postulans, ut illius meritum cognoscatur, in cujus

gratiam suas vel aliorum preces interponit. Tunc preces se habent instar testimonii, quod bonis personæ dotibus perhibetur: *Si preces*, ait S. Thomas, *pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum, quia subest debita causa ex qua illi pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur. (Ibid.)*

Quæres 2º. an liceat Clerico indigenti beneficio simplex, per se vel per alios postulare.

Resp. id citra culpam fieri, modò aliundè beneficio dignus sit Clericus. Indigentia enim quæ laborat, legitima est postulandi causa. *Licite potest aliquis*, inquit ibidem S. Thomas, *si sit indigens pro se beneficium ecclesiasticum petere, sine cura animarum.* Maximè verò notandum est S. Doctorem id privilegii non concedere, nisi Clerico pauperi, id est, qui aliud non habeat unde honestè possit vivere: *si*, inquit, *sit indigens.*

Quæres 3º. an licitè possit aliquis vel suas vel aliorum preces adhibere, ut beneficium obtineat cui adjuncta sit animarum cura.

Resp. id non esse licitum: Clericus enim ille eo ipso quòd sese existimaret hujusmodi beneficio dignum, superbiùs de se sentiret, & nimia hæc confidentia eum beneficio planè indignum faceret. *Si verò aliquis*, ait Doctor Angelicus, *pro se rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno. (Ibid.)* Ad eam S. Doctoris regulam attendant, qui Magnatum preces & commendationem adhibent, & veluti emendicant, ut beneficia extorqueant quibus subest animarum regimen.

## ARTICULUS III.

## De Munere ab obsequio.

Per munus ab obsequio intelliguntur opera quælibet indebita, in commodum & utilitatem alterius, vel jam præstita vel præstanda; sed eà lege aut intentione, ut conferatur beneficium, vel alia res spiritualis. Cum hujusmodi obsequia pretio æstimari possint, Simonix labem inducunt: *Idem est*, inquit S. Thomas, *quòd aliquis det rem spirituales pro aliquo obsequio temporalis exhibitio vel exhibenda, ac si daret pro pecunia data vel promissa, quæ illud obsequium æstimari posset. (2. 2. quæst. 100. art. 5. in corp.)*

Simonix igitur obnoxii sunt, 1º. beneficiorum Collatores qui pro temporali obsequio, vel sibi vel suis exhibitio vel exhibendo, nec ad Ecclesiæ utilitatem pertinente, beneficia conferunt aut promittunt. *Si obsequium sit ad carnalia ordinatum*, inquit S. Thomas, *putà quia servivit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonii sui, vel ad aliquis hujusmodi, erit munus ab obsequio, & est simoniacum. (Ibid. ad 1.)*

Si verò Clericus Prælato impenderet obsequium, quod in Ecclesiæ utilitatem redundaret, Vicarii Generalis, v. g. officium exercendo, tunc beneficio ecclesiastico dignus videretur, & penitus abesset Simonia: *Dicendum*, ait S. Doctor, *quòd si aliquis Clericus alicui Prælato impenderet obsequium honestum, & ad spiritualia ordinatum, putà ad Ecclesiæ utilitatem, ex ipsa devotione obsequii redditur dignus ecclesiastico beneficio. (Ibid. ad 1.)*

2º. In Simoniam per munus ab obsequio incurrun, qui regendos edocendosque Principum, Procerum, aut aliorum Magnatum liberos, vel Episcoporum & Abbatum nepotes suscipiunt, ut

per adhibitam in iis erudiendis operam, ad ecclesiastica beneficia quæ in votis habent pervenire valeant. Eiusdem Simonie rei sunt ipsi Magnates, aut alii qui domesticos illos præceptores, vel nullo vel tenui tantum stipendio donandos, ad capefendam liberorum aut nepotum suorum curam, pinguis cujuscumque beneficii spe alliciunt: tunc enim manifestè rem spiritualem pro temporali obsequio pollicentur.

3<sup>o</sup>. Qui se Principum virorum & Procerum obsequio mancipant, ut tandem optimum vel pro se, vel pro suis beneficium arripere valeant. Pariter Principes viri ceterique Magnates Simonie conscii sunt, cum præstira sibi obsequia remunerant beneficiis, quæ vel ipsi conferunt, vel eâ quâ pollent autoritate extorquent.

4<sup>o</sup>. Qui beneficium vel officium quidpiam spirituale alicui eâ lege confert, ut iste vel Collatori, vel alteri obsequium sive opus aliquod aliunde indebitum præstet.

## CAPUT IV.

### De materia Simonie.

**S**IMONIE materia, ut jam diximus, in iis tantum fita esse potest, quæ spiritualia sunt, vel spiritualibus annexa. Hujusmodi autem innumera sunt, in quibus suam veluti sedem habet Simonie labes. Ut brevitati consulamus, præcipuas tantum horum classes perlustrabimus, & quidem raptim, ne multa jam dicta repetantur. Agemus de Simonia quæ in sacrarum functionum exercitio, in Sacramentorum administratione, in beneficiis ecclesiasticis, in sanctarum Reliquiarum sacrorumque vasorum venditione, & tandem in admissione ad professionem religiosam committi potest.

## ARTICULUS PRIMUS.

### De functionibus ecclesiasticis quæ Simoniam admittunt.

Quæres 1<sup>o</sup>. an. cantorum & musicorum functionibus quæ in Ecclesiis exercentur, subesse queat Simonia.

Respondeo in hujusmodi functionibus, quamvis exercentur à Laicis, posse delitescere Simoniam. Cum enim Officii divini partem constituent, & propter cultus solemnitatem fuerint institutæ, spirituales sunt; admoneri ergo debent hujusmodi homines, ne honorarium suis muneribus adjunctum accipiant, tanquam sui laboris pretium, aut *motivum* primarium; sed veluti stipendium unde vivant ab Ecclesia concessum.

Quæres 2<sup>o</sup>. utrum in verbi divini prædicatione locus esse queat Simonie.

Resp. posse, quia ministerium illud spirituale est, cum propter salutem eorum quibus verbum divinum annuntiatur, institutum fuerit ad eumque finem ex se referatur. Hinc simoniaci reputandi sunt, qui in sacris concionibus habendis, eò præfertim spectant, ut laudes, plausus, famam sibi concilient, vel ut lucrum inde proveniens percipiant. In hujus autem vitii suspicionem merito veniunt, qui nihil non moliantur, ut verbi ministerium iis in Ecclesiis exercent, ubi pinguius stipendium rependitur; qui, postquam quodam in loco concionaturos se polliciti sunt, à suo promisso resiliunt, ut occasionem arripiant aliis in locis concionandi, unde copiosorem pecuniam ad se redituram norunt: item qui verbum divinum nuntiare detrectant, cum nonnisi tenuis mercedula ipsis proponitur; pariter qui suam omnem